image
not
available

DE NOVISSIMIS ETRURIAE LEGIBUS

EXERCITATIO



FLORENTIÆ . MDCCXXXXI.

* *

Ex Typographia Bonducciana
Censoribus Approbantibus.

IOSEPHO . BENCIVENNI . PELLI

PRÆSTANTISSIMO . ET . NOBILISSIMO . VIRO

QUI

IN . IURISPRUDENTIA . PHILOSOPHIA

OMNIQUE . DOCTRINÆ . GENERE

EXCELLENS

REGIÆ . PINACOTHECÆ

PREEST

IOANNES . GUALBERTUS . BECHI

AMICO . DULCISSIMO

EXERCITATIONEM . HANC

STUDIORUM . SUORUM . FRUCTUM

D. D. D.





ÆPE mecum cogitabam, o Vir Clarissime, qui inter amicitiæ, & philosophiæ cultores nemini es secundus, quam pauci in tanta Doctorum, ac Sapientum, qua laboramus copia in legibus explicandis, aut interpretandis earumdem legum spiritum, & causas inquirant. Quamvis sane multi in hujusmodi versentur exercitationibus, attamen fere omnes eorum qui in Juris-

prudentia vocantur magistri, quasi servum pecus vestigia sectantes, longe a veritate aberrant, & distant. Ob quam caussam a multis examinatur quæstio, an utilius sit verba prout sonant accipere, an potius spiritus, aut ratio legum sit investiganda, quemadmodum placuit Philosophis, & quemadmodum Quintilianus affirmat (1) „ *Omnis iuris quæstio, aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis coniectura continetur, quorum pars ad rationalem, pars ad moralem Philosophiam redundat*. „ Ipsi quidem Iurisconsulti sapienter judicarunt philosophia duce, & auspice justitia sensum magis quam literas, aut verba inspici debere, veluti Celsus, & Modestinus loquuntur „ *Scire leges non hoc est verba eorum tenere, sed vim, ac potestatem* (2) „ *Et si maxime verba legis hunc habent*

(1) *Institut. Lib. II. Cap. II.*
(2) *in Leg. Scire Dig. de legibus*.

intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult „ (3) Ac in pluribus quamvis locis prævaleat opinio, leges esse stricte ad litteram explicandas, nec ulterius protrahendas, aut restringendas, nihilominus asserere audentius non dubitamus veterum Doctorum innixi auctoritati, magis æquitati, & philosophiæ consonum esse, leges non iuxta verborum simplicitatem, sed iuxta Legislatoris verisimilem voluntatem, & populorum mores interpretari. At quoniam hæc duæ opiniones in Etruria regia potestate minime fuerint concordatæ, ideo evenit, ut discordes sententiæ sæpe in iisdem controversiis proferant Iudices, & Iurisperiti innumeras, & prolixas consultationes in lucem edant. Quibus reparandis malis Civitates jus Statutarium promulgarunt, quod etiam ius municipale dictum est, & Legislatores ad casuum opportunitatem no-

(3) *in Leg. scire oportet Dig. de excusationib.*

vas statuebant leges, quarum multiplicitas, & discrepantia lites, & ambages augendo, inimicitiis, dissidiisque magnum præbebant alimentum, & ita novum priore deterius malum exoriebatur.

Et revera dum confusionem inspicimus, quæ ex tanta legum multiplicitate, sive discrepantia producitur, minime ab exclamando cum Satiricorum Principe possumus abstinere. (4).

Qui iuris nodos, & legum enigmata solvat?

Et nemo est qui non cupiat, ut redeant illa aurea Saturni tempora, quibus Ovidio teste unusquisque

Vindice nullo

Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat. (5)

At quoniam fuerunt a Poetis ficta Saturnia regna, vel justa ira Dei redire non sinit, cum tot malorum generibus,

(4) *Iuvenalis Satira VI.*
(5) *In Metamor. Lib. I.*

quibus infœlix mortalium natura angitur saltem non conspirent leges, quas homines fere divini ad humanam felicitatem populis edixerunt.

Hæc graviter cogitans Princeps olim noster Petrus Leopoldus, nunc Imperator Augustus, cuius beneficentissimus, & providissimus animus nullam sibi permisit requiem, donec quid utilius inspiceret, decrevisset, veteres instauravit dispositiones, novas adiunxit, atque Etruriæ fatum firmiter constituit. Præ ceteris semper erit immortalitate dignus Codex pœnalis, qui non solum sub ipsius auspiciis, sed ipso auctore compositus admirationem, & laudes totius Europæ iure meruit obtinere. Humanitas, & Clementia Principis dignæ comites, usque adhuc exules, per ipsum quasi triumphantes redeunt, atque horrida præteritæ ætatis aufugit barbaries. Mortis pœnam, cujus nequidem lugubre spectaculum im-

probos homines a scelerum tramite potuit revocare, abrogavit, memor quod supremus Mundi Arbiter tantum vitæ, & necis est dominus, nec sub ejus imperio nocentium sanguinem effudit ultor justitiæ gladius, sed mitioribus substitutis pœnis rubiginosus, atque inutilis hæsit humi. Tormentorum instrumenta, quibus obsistens reus imperterritus justam evadit punitionem, pavidusque innocens sæpe damnatur ad supplicium, destruxit, & oh utinam cum ipsis invisa Phalaridum, & Neronum periisset memoria! Lesæ Maiestatis crimina, bonorumque confiscatio, quæ regium olim locupletabant thesaurum, modo nec uxorem, aut filios, coniuge, aut patre viduant, nec omnibus substantiis exutos ad ultimam redigunt ignominiam, atque mendicitatem. Justa denique inter culpas, & pœnas proportio admiratur, se-

cundum illud Horatii (6) dictum qui canit:

Adsit.

Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

Ille autem maluit civem, & patrem esse, quam principem, & dominum, atque ut Plinii (7) verbis loquar, credidit tanto magis excellere, quantum se se unum ex nobis esse putabat.

Novam quoque Juris Civilis Collectionem necessitas temporum, veterum legum oblivio, copia, vel discrepantia exposcebant, & Leopoldus post multas editas constitutiones, quibus & abusus corrigere, & meliora antiquorum placita iterum in lucem suscitare proposuit sibi, novi Codicis executionem commisit Iurisconsulto summo, atque simul Philosopho, qui præ cœteris tanto dignus mu-

(6) *Lib. I. Satira III.*
(7) *In Panagyr. ad Traianum.*

nere, quum Civitatis, & Curiæ sit ornamentum, & decus, haud dubie publicis omnium satisfaciet votis.

At maxime Principis humanitas, & sapientia refulgent in legibus, quarum solamen colonorum, & pauperum scopus erat præcipuus; quamvis in omnibus beneficentia eminenter appareat, rectique amor quasi sidus in tenebris dominetur. Beneficiorum immemor vulgus intelligat, cui meliorem conditionis suæ constitutionem debeat, nec cœcus, aut demens optatæ felicitati audeat adversari.

Et profecto si ad divitum, & possidentium statum respicitur, quid felicius? Et contra quam inopum, & artificum conditio quid tam erat tristius? Dum honoribus, & immunitatibus divites fruebantur, pauperes tantum labores, & onera substinebant. Oportebat igitur hæc duo extrema inter se nimium disiuncta propius accedere, ut fatali ablato discri-

mine, cuius causa dissidia, atque exoriuntur inimicitiæ, omnes mutuo amore flagrantes communem patriam diligerent, utque non quasi æmuli, aut inimici, sed quemadmodum jussit hominum Parens, & Dominus, quasi concives, aut fratres invicem agnoscerentur.

Neque jam perfectissimam substantiarum, ac graduum æqualitatem consequi posse arbitramur, veluti commendatur in divini Platonis republica, & solummodo minus injustam bonorum retributionem suadere nitimur, ut publica felicitas firmioribus jugiter consolidata fundamentis ædificetur. Lacedemonum Civitas æqualitatis legibus regebatur, nec ullum sane imperium maiorem virtutis, & sapientiæ celebritatem adeptum est. Improbum autem dicere solebat Curius, civem esse, cui pars, quæ unius hominis alimentis sufficiat, parva videatur. Et quid reipsa societati prosunt, aut a-

varus Crassus, aut mensæ, equorumque amans Lucullus? Non ne melius foret, ut tot divitiæ in paucas congestæ familias ad omnes transmitterentur cives, qui bonis satis instructi utilius pro patria semetipsos impenderent?

Salutiferam hanc mutationem Legumlatores solum possunt efficere, quæ veluti communiter divulgatur, difficilis adeo non est, ut vir fortis debeat ab inceptis recedere; Leges enim omnium Civium æqualitati innixas dedere Spartanis Lycurgus, Atheniensibus Solon. Lex agraria pariter, quam Gracchi, ut ratam haberet, ad Romanum populum obtulerunt, in hoc unum spectabat exitum, & plures Greciæ civitates illam perpetrare non dubitarunt. Ipsi vere sub eiusdem ponderis gravitate miserrime exciderunt, sed nihil poterat ab illis fieri gloriosius, quam pro justitia, & patriæ incolumitate vitam amittere; civilia tunc bella, nisi

inexorabilis Senatus legi firmiter obstitisset, haud forsitan dilaniassent Reipublicam, nec execrabiles Tyranni sub ferreo eorum imperio, & Romam, & Orbem subegissent. Nimis Gracchi urgebant potentes ex adverso, qui ultricibus perciti furiis, quum tantum caperent detrimentum, contra novitatem unanimes exclamarunt, & auctorum sanguinem crudeliter effuderunt. Quotiescumque magna vel nova moliuntur negotia, expedit, ut prudentia duce per vias obliquas leniter homines progrediantur, ne per semitas nimium directas euntes, occultum prodant consilium, ac exitus spe frustrati difficultatibus, & periculis penitus exanimentur.

Quum igitur justitiæ non sit consentaneum, quod divites inter pauperum gemitus comessentur, eorumque illudant miseriis, equidem conveniens est, ut quantum fieri potest suum cuique retribua-

res afficitur? Romani ex professo Milites devictos inclementius habebant populos, & Urbis abundantiæ, atque prosperitati solummodo consulebant. Ex Philosophia potius igitur quam ex antiquitate præcepta sumere debemus, veluti sapienter idem ait Cicero de Legibus (8) *Non a Prætoris edicto, ut plerique nunc, neque a duodecim tabulis, ut superiores, sed ex intima Philosophia hauriendam juris disciplinam puto.*

Ius congrui, vel retractus contrahendi libertatem ita in venditoribus coercebat, contra id quod Valens Imperator disposuit (9), ut nemo vendere posset domum, aut prædium nisi prius impetrato a finitimis consensu, qui prælationem habebant in emptione; quod Ius a magnanimo Imperante postea fuit abrogatum.

(8) *Lib. I.*
(9) *in Leg. Dudum Dig. de contrahend. emption.*

Amplissimarum possessionum Domini, qui alienare non poterant, & tamen semper acquirere, omnia in semetipsos societatis absque dubio bona collegissent, nisi amplius acquirendi habuissent prohibitionem.

Bona emphyteutica, quæ Monasteria, vel Ecclesiæ in fidem antiquitus receperunt, ut possessores defensionibus & Legum præsidiis destituti, crudelem militum, & latronum effugerent rapacitatem, ad instar allodialium redacta, cum antea Emphyteutæ juxta consuetudinem absque domini directi consensu de illis disponere prohiberentur, nunc ad hæredes libere, & ad omnes transeunt acquirentes. Ereptis impedimentis, quorum caussa commercium, & libertas bonorum hærebant, unusquisque maiori spe, atque probabilitate fortunam ampliandi suam, libentius animum ad negotiationes, & ad ingenuas artes adiunxit.

Concessiones, pluresque immunitates, quæ veræ tamquam iniuriæ, dum paucos gaudentes juvant, cœteros offendunt, retractari jubebat æquitas, cuius obtemperans præceptis Leopoldus privilegia omnia firmiter revocavit. Distintiones honorificas solummodo Principes, veluti inexhaustum munerum, & virtutum thesaurum impendant, quæ dum cives optime de Patria meritos compensant satis, neminem lædunt, sed quum illas possint omnes adipisci, nobilem gloriæ ardorem mirabiliter incendunt, & fovent. Omnia igitur ita fuerunt comparata, ut facultatibus, & personis naturæ jura, ac necessarium æquilibrium restituantur. Quod si arduum exoptatam consequi æqualitatem fuerit, attamen, dummodo bona de una in aliam sæpe transeant familiam, nec in unum perpetuo consistant corpus, atque morentur, ignobiles saltem, & pauperes ex facilitate,

propter quam viam ad prœmia, ad honores, atque ad opes explanatam cernunt magnam capient utilitatem.

Quid de Lege sepulcrali dicere debemus, quæ quantæ utilitatis sit nemini latet. Hæc ad instar Legum duodecim tabularum, assignato loco extra Urbem humationes prohibuit in Ecclesiis fieri, veluti contra maiorum usum, & Christianorum statuta exitiosa posteris temporibus invaluit consuetudo. Vetustis equidem sæculis Græci, & Romani, nationesque prorsus omnes cadavera in agris sepeliebant, & tantum Vestalibus, & Civibus maxime de patria meritis ex privilegio sepulchrum in Urbem erigere concedebatur, ut de Valerio Poplicola, & de Caio Cæsare Plutarcus (10), & Dio (11) narrant. Nunc vero visum est hoc abiectum aliquibus, qui ortus superbien-

(10) *In Valerium Poplicolam.*
(11) *Historiar. Lib. XLIV.*

tes claritate, etiam quum fato cederent, & nihil quam pulvis essent, aut umbra, terram cum terra miscere, & communem cum aliis habere quietis habitationem nimium turpe putarunt. Tot habemus in corpore Iuris Civilis, & Canonici Principum, & Pontificum Constitutiones, ut quam omnes aut referre, aut citare nihil foret molestius. Ita Lex duodecim tabularum jubebat. HOMINEM MORTUUM IN URBEM NE SEPELITO NEVE URITO; cui alludit Horatius dicens:

Hoc miseræ plebis stabat commune sepulchrum (12).

Balduinus autem in suis Commentariis ad duodecim tabulas hoc valde salutiferum commendat institutum „ *Cæterum magna etiam prudentia est opus, religioni sepulchrorum tantum ne tribuatur, ut vivis res hæc graviter non noceat, neve ambitio in hoc genere perniciosa, vel alatur, vel*

(12) *Lib.* I. *Satira VIII.*

toleretur. Certe *Marcus Tullius Platonem laudat, qui præceperit, ne ex agro culto, eove qui coli possit, ulla pars sumeretur sepulchro, sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat* „ & sic Oinotomus loquitur in Institut. tit. de interdictis „ *Pretor mortuis hominibus circa sepulturam prospicere voluit, & de iure civili corpora defunctorum propter fœtorem non poterant sepeliri intra Civitates, sed extra in campis, & in locis privatis, ubi quilibet sibi locum sepulturæ eligere potest.* Hæc duæ doctissimorum Hominum sententiæ sufficiant, quum a nobis nihil magis, aut melius possit adiungi.

Substitutiones, primogenituræ, & fideicommissa supersunt, ut celeriter de illis etiam verbum aliquid faciamus. Et apprime nostræ sese exhibet cogitationi infelix creditor, ad ultimam perductus

miseriam decoctus, inhonoratus, & in carcerem iniuste detrusus, interea dum fideicommissis prodigus fidens debitor, qui antiquam familiæ suæ jactat progeniem, &

Alta
Ambitione tumens vulgo se prædicat ortum
Dissecta cervice Iovis (13).

Audax, ut Phæton in rhedis proveheitur, & in divitiis, & in voluptatibus natans turpiter explet vitam. Inter complures deinceps filios qui ad Patris successionem idem omnes jus habent, uni tantum in primogenituris, & feudis dominium traditur, & cæteri fratres indigentes alicubi subsistentiam sibi comparare coguntur, nec nubere, novamque possunt fundare domum, per quam & humanum genus multiplicetur, ac defensoribus civibusque Patria semper abundet. Substitutionum caussa latifundia sæpe in unum conge-

(13) *Sectanus Satira VIII.*

runtur caput, & libera potestas testandi deque suis facultatibus disponendi, quæ jure naturæ competit omnibus, arctis adeo coercetur limitibus, ut fideicommissarius hæres de bonis per fideicommissum acquisitis micam nequidem post sui decessum possit donare; successor enim non a Patre, vel ab ultimo Testatore, ut inquiunt Iuris Consulti (14), sed ab instituente vocationem habet qui ad estremum Mundi exitum usque, quasi ad mortalem rediturus vitam, stulte rerum suarum, atque familiæ sollicitudine moriens exeditur. Parum tot malis binæ Leges Francisci I. Augusti providerunt, propterea quam optimus ipsius Filius veluti relliquias arbitrariæ jurisprudentiæ, aut ambitionis inane monumentum fideicommissa funditus evertere melius existimavit.

(14) *Iustinianus Instit. tit. de vulg. substit. in princ. Papinianus in L. cohæredi Dig. de vulgar.*

Sed prætereunda non est eximia debitorum Lex ab humanissimo Principe edita, (15) super quam nunc ad disserendum aliquantum aggredimur. In ipsa sapienter statuitur, quod creditor ad crediti satisfactionem obtinendam nequeat contra debitorem suum personalem experiri, quam antea habebat actionem (16), at solum realem vindicationem exceptis tamen creditis commercii ratione contractis, vel ab advenis, qui non possident, nec in Etruria, domicilium acquisiverunt, vel a depositariis pignorum, & a pecuniarum exactoribus, in quibus sæpe fraudi damnum coniungitur. Usque adhuc potentum pedibus conculcata humanitas quievit, nec amplius ingemuit, cuius quærulæ voces, & preces

(15) *Anno 1782. die 26. Octobris.*

(16) *Caius in L. creditor Dig. de reb. credit. Puffendorfius de iure naturæ, & gentium lib. III. Heineccius Antiquit. Romanar. Lib. III. Tit. XXX.*

Philosophorum scriptis excitatæ ad supremam clementiæ sedem feliciter pervenerunt. Hoc tamen æquitatis actum turpe sane dictu a quibusdam, quamvis paucis & insciis, quasi iniustum, ac exitiosum quidem omnibus improbatur; nam veluti imprudenter ajunt, reciproca debitorum, & creditorum destruitur fiducia. Sed Lycurgus, & Solon ulterius excesserunt: Stricte ille servata æqualitatis Lege agros, & prædia distribuit Lacedæmonibus, & hic Athenis, Plutarco teste, (17) propria auctoritate, quod postea a Populo sancitum fuit, pauperum commotus pœnis debita remisit, omnesque delevit obligationes. Hæc vere erant iniusta, & sacra proprietatis jura obturbabant, at quum ad reipublicæ bonum tenderent comparandum, nemo tunc surrexit qui palam de illis inclytis virtute viris conquæreretur, & qui eosdem iniu-

(17) *In Solonem, & Valerium Poplicolam.*

stitiæ crimine auderet arguere, nemo nostra adfuit ætate. Publica, ut metuebatur frustra non minuit fides, nec mercium hæsit cursus, nec a commodandis pecuniis restiterunt fœneratores. Stultum foret enim superfluum habentem in scrinio potius asservare, quam utilius fœnerari, & nisi crederent, officinas subscude firmare, ut dici solet caupones, & artifices cogerentur. Ex publica fiducia exoritur credita exigendi facilitas. Quod si debitor, ut solvat non habet in ære, vincula num reddent solventem? Aquam ut Plauti dicam verbis, e pumice postulamus. Quum autem unde solvere habeat in bonis realis succurrit actio, quæ ad personalem extenditur, dummodo ipse fraudolenter bona sua importunæ exactorum indagini surripiat, & abdat; tunc etenim merito ad carcerem condemnatur, ut doli tantum reus, non ut debitor. Nec rarum probat exemplum, quod ali-

qui æs alienum exolvant nexus timore perterriti, quoniam novum absque dubio contrahunt debitum, & ut tritum est proverbium, Penelopes telam intexunt. Malo malum remedium umquam esse non potest, ideoque omnibus debet iniquum videri, ut uxor dote ac substantiis spoliata una cum filiis ad extremam redigatur humilitatem, nec miseris ullæ beneficus spei radius effulgeat. An pecunias fœnori dare suspiciosi divites recusabunt? Minime hoc timendum; nam quum

Crescat amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, (18)

& auri sacra fames numquam expleta deficiat, ac ideo spe quæstus illecti homines fugientis vitæ negligunt delicias, ipsamque potius immo vitam quam opes libentius amittunt, illasque augere semper, & cupiunt, & student. Fœneratores

(18) *Iuvenalis Satira XIV.*

itaque in posterum cui credant consulent, & pauperes diurnis stipendiis, operumque pretiis auctis seipsos debitis eximent facilius. Toculliones vero, qui pecunias ingenti dant fœnori, ut inexperti, vitiosique juvenes in præceps ruant, & ipsi aliena locupletentur jactura; præsidium, legumque curas haud promerentur, sed potius ultionem, & pœnas. Quum igitur personalis actio, dum creditores non adiuvat, miseris autem summopere noceat, patens est, ex ipsa maximum reipublicæ exoriri detrimentum, summumque Imperantem, quam hanc iniustam maiorum Legem abrogare, nihil sapientius, & nil rectius egisse.

Veteres, & præsertim Græci, qui in scientiis, & legibus magistri putabantur quomodo se gerebant, interim videamus. Et fateri revera cogimur, Græcorum mores multum ab humanitate, & iustitia aberrare. Lycurgus etenim, & Solon,

ut inveteratis malis validum ferrent remedium, proprietatum ordinem inverterunt, & quasi in pristino societatis initio, novam bonorum fecerunt distributionem. Adeo vehemens medicina, morbi quoque violentiam supponit. Sed rursus divites insurrexerunt acerbius in pauperes, & Decemviri inhumanissimam debitorum legem ab Atheniensibus haustam in duodecim tabulis retulere, quam ipsi postea in pejus mutarunt, ut melius in Romanum populum sævire potuissent. Nec Regibus quidem imperantibus debitorum sors felicior fuit; immo Dionisius Halicarnassensis narrat (19) optimum Regem Servium Tullium jus in personam abstulisse, & jus in rem creditoribus solummodo reliquisse. At humanius hoc Servii Tullii institutum jamdiu non viguit, nam ultimus Tarquinius omnes ejus Leges abrogavit, barbarumque mo-

(19) *Historiarum Lib. IV.*

rem restituit, quasi e postliminio reducem. Populus autem, quum se in Monte Sacro Patriciorum, Senatusque tirannidi subtraxisset, falsis eorum deceptus blanditiis, & promissionibus, potiusquam a Menenii apologo convictus, & ductus ad consueta rediit officia. Aulus Gellius (20) posteris invisam transmisit legem duodecim tabularum, & Appii Claudii orationem de hoc argumento in Senatu habitam tradit Dionysius (21) in qua statuitur veluti legale axioma, *quod non habens in ære luat in corpore*. Ita vero lex præcipiebat: ÆRIS CONFESSI, REBUSQUE IURE IUDICATIS TRIGINTA DIES IUSTI SUNT. Incredibilia erant mala, & innumera quæ patiebantur obærati. Postquam in vincula turpiter abripi crudelis jusserat prætor, furentes satellites illos flagellis verberabant, & quasi captivos decernebat

(20) *Noct. Attic. XX.*
(21) *Historiarum Lib. V.*

creditoribus pertinere, a quibus abiectis, laboriosisque destinebantur servitiis; ut Dionysius idem Halicarnessensis (22), Quintilianus (23), & Aulus Gellius (24) testantur. Iuvenis Veturii exemplum, quem Plotius, cui parentis sui funeris impensas debebat in servitutem adduxit, satis hanc confirmat veritatem.

Neque hoc etiam divites contenti una cum patre debitore filium pariter detinebant, quasi novum pignoris genus, nec veluti Plinius iunior memorat, (25) ei senio, vel infirmitatibus oppresso parcebant, & post obitum usque illum persequebantur, non sinentes defuncti corpus e domo exportari, & ad sepulturam duci. Nihil turpius nil hoc scelestius tunc præsertim putabatur, quum vulgo

(22) *Historiar. Lib. IV.*

(23) *Institut. Orator. Lib. VII. & VIII. & Declam. CCCXI.*

(24) *loc. cit.*

(25) *In Panegyrico ad Traianum.*

crederetur manes, quorum cadavera jacerent inhumata, perpetuis affici suppliciis. Creditorum auctoritas ita aliquando ulterius excessit, ut ex dispositione duodecim tabularum quisque, discisso æquis partibus debitoris corpore, portionem suam posset accipere, idque sectio corporis vocabatur. Sed aliquibus hæc lex iniusta, adeoque improba visa est, ut potius affirment de sectione bonorum, quam corporum intelligi debere; huic licet sententiæ genuinus verborum sensus obsistat, & Quintilianus (26), Cæcilius Iurisconsultus (27), & Tertullianus (28) sentiant seorsim. Stultissimum revera hoc nobis videtur; at si stultum propter hoc quod stultum est reiici debuisset, in hominum historia fide dignum sapientes vix aliquid invenirent. Populus autem semper de Patriciorum iniustitia conquærebatur, bono-

(26) *Instit. Orator. Lib. III.*
(27) *In Aulo Gellio loc. cit.*
(28) *Apolog. IV.*

rumque civium inutiliter implorabat auxilium. Iulius Cæsar, qui nisi occupasset, mortalium omnium erat imperio dignior, Decemvirorum abolevit constitutionem, & Servii Tullii Legem suprema firmavit auctoritate (29). Apud veteres saltem domus propter Religionem, & Penatium cultum veluti asylum sacrum habebatur, nec umquam violari sinebant Leges (30). Apud nos vero cuilibet licitum est in jus rapere debitorem in suis etiam ædibus absconditum, ubi tutum esse poscit justitia, illumque ab uxoris, & filiorum amplexibus inexorabiles Lictores violenter divellunt. Ita igitur ab hominibus homines asperrime vexantur, ut ipsi quidem agrestes Scythæ a perfidis hisce moribus abhorrerent?

Quod genus hoc hominum, quæve hunc
tam barbara morem,

(29) *Iulius Cæsar de Bello Civili Lib. III. & Svetonius in Cæsarem.*

(30) *Caius in L. plerique Dig. de in ius vocando.*

Permittit Patria? (31)
An belluæ potiusquam homines sumus! Num tam barbaris modis belluis ipsis non efficimur deteriores, quemadmodum Poeta cecinit!

Neque hic lupis est mos, neque leonibus unquam,
Nisi indispar feris.

Utinam de huiusmodi rerum veritate dubitare possemus, sed quæ de illis indubitatam reddunt fidem, manent monumenta. Et præcipue Imperatores Diocletianum, & Massimianum in *Leg. ob æs alienum Cod. de actionib.* ita legitur præcepisse „ *ob æs alienum servire liberos creditoribus jura compelli non patiuntur* „ (32) Ex his ergo verbis colligitur, quod debitorum filii creditoribus inserviebant, & parentes extabant adeo efferi, ut ipsi, & filios pignori darent, aut venderent,

(31) *Virgilius AEneid. Lib. I.*
(32) *Paulus in L. Creditor Dig. qui potiores.*

simulque pretium reciperent (33). Iustiniani autem ætate, qua Christianæ Religionis spiritus misericordiam, & clementiam sollicite commendabat, juxta Moysis præceptum in Exodo (34), eiusdemque Divini Salvatoris (35) ab hac debuisse impia Ethnicorum consuetudine divites recedere nobis videbatur. Et tamen idem Iustinianus in suis novellis (36) constitutionibus sic contra testatur „ *Quia vero & huiusmodi iniquitatem in diversis locis nostræ Reipublicæ cognovimus admitti, quia creditores filios debitorum præsumunt retinere, aut in pignus, aut in servile ministerium, aut in conductionem, hoc modis omnibus prohibemus, & jubemus, ut si quis huiusmodi aliquid deliquerit, non solum debito cadat, sed tantum aliam quan-*

(33) *Diocletianus, & Massimianus in Leg. qui filios Cod. qui pign.*
(34) *Cap. XXII.*
(35) *Matthæus Cap. XVIII.*
(36) *Novella CXXXIV. Collect. IX. Tit. X.*

titatem adiiciat dandam ei, qui retentus est ab eo, aut parentibus eius, & post hoc etiam corporalibus pœnis ipsum subdi a Loci Iudice, quia personam liberam pro debito præsumpserit retinere, aut locare, aut pignorare „ Quamobrem evidenter agnoscitur, sapientissimas Diocletiani, & Massimiani Leges obsolevisse, quæ novis adiunctis pœnis postea ab eodem Imperatore fuerunt restitutæ. Superius autem in Novella sexagesima (37) per extensum enarraverat, quomodo dives creditor contra debitorem suum in mortis articulo constitutum inique se gesserat. Hic plusquam Marpesia cautes insensilis, & pietatis, relligionisque vocibus nihil obtemperans, congregatis militibus, & servis in eius domum violenter ingrediens ita morientem compressit ut exanimem penitus reliquerit, & postea auctoritate sua signacula rebus imposuit, nec defunctum

(37) *Collect. XX. tit. XX.*

iniuriare eum piguit, nec voluit recedere, sed primum quidem insistens non fieri exequias, deinde non sinens de domo deponi mortuum, atque lectum portari, nisi creditum exegisset, aut donec idoneum accepisset sponsorem, quo pacto defunctum terræ tradi permisit.

Hæc Iustiniani commovendis animis apta sufficit narratio, ut absque ulla dubitatione concipiamus summam illorum temporum iniquitatem, ob quam caussam ultimi supplicii pœna huiusmodi rei criminis afficiebantur.

Sed plures politica, & æquitas validiores rationes pro nostra tuenda sententia suppeditant. Inter quas certe primum obtinet locum illa ab animadversione desumpta, quod debitor nec reus est, nec reo quidem juste æquiparari potest, quisquis etenim honestæ conditionis vir calamitatibus, & fortunæ vicissitudinibus subiicitur, durisque sæpissime urgetur ne-

cessitatibus. Iniquum est igitur, humanisque moribus absonum, ut afflicti magis magisque affligantur, utque dulci privati libertatis thesauro ignominia pariter, & contumeliis notentur. Quid veris autem delinquentibus reservant Leges, dum pœnæ adversus innocuos, aut miseros omnes exhauriuntur? Et contra reipublicæ summopere interest, ut indigentes potius manibus sibi quæritent victum, quam ad desperationem frustra perducti ostiatim stipem rogent, & petant. Quum ipsi iucundum mendicantium vivendi genus delibaverint, tunc otio dediti, & omnino laboribus inhabiles utilem, & operosam artificum vitam parvipendent: Cur non utilius stimulantur pauperes ad augendum in prædiis agricolarum numerum, ubi

Desunt manus poscentibus arvis? (38)

& plures artes nonne declinant, aut pe-

(38) *Lucanus Pharsalia Lib. I.*

reunt, quia ad labores, & opera deficiunt artifices? Nec solum propter utilitatem miserabiles adiuvare, eorumque inopiæ succurrere optimum est, sed etiam ut periculum auferatur, ne societatis commodis, præsidioque destituti, illam pariter derelinquant, neque triconum socii, aliorumque perditorum hominum effecti, patriam communem omnium civium matrem quasi parricidæ sceleribus discindant, horridisque eorum suppliciis contristent, & angant. Servilia Italiæ, & Siciliæ bella ob dominorum, & divitum sævitiam erupisse, nemo dubitat, quemadmodum ex historiis comprehenditur, maximam in exercitu debitorum, & pauperum partem habuisse Spartacum gladiatorem, qui meliori genere, & fato dignus læsæ humanitatis quasi vindex surrexerat, & ultimum Romanæ Reipublicæ eccidium minitabatur. Proh dolor! Severis potius legum minis perterriti homines, quam dul-

cibus naturæ commoti stimulis, feram exuerunt immanitatem. At novo Cæsari saltem omnes plaudant unanimes, & veluti bonis, christianisque decet civibus, in ipsius congruant mores, humanioribus eiusque legibus indesinenter obtemperent.

Magnum publicæ felicitatis opus inceptum, & a Leopoldo prorsus absolutum Ferdinandus III. in Patris locum ad Etruriæ regimen assumptus, nec minus ipsius Patris imperio dignus, mirabiliter in totum perficiet. Ab incunabulis usque, quasi arbor tenella attentissimæ egregii cultoris commissa vigilantiæ, sub eius auspiciis adolevit, qui novellus Chiron illam puris irrigans aquis virtutum haustis fonti, ita fecit velociter prosperare, ut jam nunc fœcunda maturos afferat, & flores, & fructus. Consiliarii autem, & Ministri incorruptibili justitia undique clari prope Solium considunt, qui omnibus præstantes virtutibus Philosophorum

Principem Senecam, vitiis tamen exceptis, imitantur, & Seiani mores exemplo improbant, & abhorrent. Ferdinandus tandem inclyta suorum huiusce nominis Decessorum sequens vestigia, ita quomodo, & ipsi fecerunt, dominabitur, ut eius nomen, comite ubicumque gloria, ad immortalitatis, & virtutis templum pervenerit. Florentiæ natus, illi mater Etruria est, quæ merito gloriatur tantum Filium, & tantum progenuisse Civem, per quem aurea Laurentii, utriusque Ferdinandi Medicea sæcula sunt reditura.

Nam illi quum facilis mores natura pudicos,
Et raras dotes ingeniumque dedit (39).

primo oculorum ictu videbit, quid artes, quid scientiæ, quid denique Reipublicæ salus, bonumque postulant, unde Princeps, & Subditi mutua invicem benevolentia sese prosequentes magnam, & unicam tantum componant familiam. Hæc

(39) *Ovid. Trist. Lib. III.*

mea, totiusque Etruriæ sunt vota: utinam adimpleantur, ut omnes plane felices de tanto nobis a Deo dato Viro semper grates quam plurimas referamus, & ille gloriosa Optimi Principis, & Patris Patriæ promereat nomina, veluti Traianus, Antoninus, & Marcus Aurelius obtinuerunt.

Te demum, o Vir clarissime, qui neminem aut saltem paucos habes in Philosophia pares, & cui Lucani de Catone Uticensi loquentis celeberrimum convenit elogium,

Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti (40).

oro obtestorque, ut quam opus, ingenii mei indulgens tenuitati, potius plausu dignum auctoris desiderium respicias. Censor enim, qui minucius, & scrupulosius rimans omnia nimis asperum de aliis affert judicium, in suis postea illi venia opus est, quæ vix ab ipso, vel numquam

(40) *Pharsalia Lib. II.*

impetratur, quemadmodum de Asinio Pollione enarrat Seneca. Apud te vero, qui doctrina, simulque humanitate inter omnes excellis, haud timeo veniam me fore consequturum, ac tuam quidem ego non indulgentiam tantum adipisci, sed patrocinium, & laudes obtinere confido, quum optimum in te Patria Civem, religiosum pietas virum, & amicum benevolum atque utilem amici constanter adinveniant.



